

B. h. II, 65.  
h. 10, f.

X 187 9536

II m  
453

# DE IN SIGNIBUS. SCHE DIASMA.

DIE. III. NOVEMB. A. O. R. M. DG. LX.

SOLENNITER.  
SUB. PRÆSIDIO.  
VIRI. EXCELLENTISSIMI. ATQVE. PRÆCLA-  
RISSIMI.

Dn. M. FRIDERICI. RAPPOLTI,  
POES. PROF. PUBL. &c. PRÆCEPTORIS. ET. CON-  
SANGVINEI. SUI. ÆTATEM. DEVE-  
NERANDI.

P. P.  
PAULUS STÄRCK REICHENB. VAR.  
PHIL. ET. BON. ART. BACCAL.  
A. ET. R.

---

LIPSIAE.  
LITERIS. JOHAN-ERICI. HAHNII.

2623. 23



Virūm Trigæ

Venerabili, Excellentissimo, Spectatissimo, Clarissimis

DN. AUGUSTINO RAPPOLTO, Seni de juventute literaria meritissimo.

DN. M. FRIDERICO RAPPOLTO, Prof. Publ.


DN. SAMUELI RAPPOLTO, Notar. Publ. Cæs.

Illi Avo Octogenario, & qvod exurrit, his Consangvinēis  
propioribus & potioribus.

Familiæ Vestrae INSIGNIA cassidem galeâ exornatam, flavōqve  
repræsentatam clypeō exhibent, cuius summum & imum tripar-  
titum habet montem viridem, corvō nigrō (ob nominis forsan  
convenientiam) expansis alis, & pedibus alterō paululùm alle-  
vatō, alterō prorsū rectō medioq; montis innixo cacumine insigni-  
tum. Qvibus præclaris ab Imperatore Maximiliano Anno Christi  
1500. die 29. Jan. virtutum præmiis, Tuus, MI AVE, Atavus ant aba-  
vus qvidam FRIDERICUS RAPPOLT, remilitari tunc tem-  
poris clarissimus, ex cuius filio aut nepote Avus tuus deinde natus,  
suos nobilitavit posteros, ut in diplomate publico Imperiali, qvod vo-  
bis adhuc est ad manus, multis videre est. Quid inde? Gratulor mi-  
hi, matrem habenti sangvine progerminatam Rappoltiano, adeoqve  
tam laudatæ inserto familiæ, inqve hoc unicè nitor, ut præclari hujus  
generis surculus præclaras æmuler virtutes. Et qvò vivum virtutum  
harum exemplar oculis meis semper obversaretur, in memoriam  
Vestrorum Insignium de Insignibus aliquas vobis sacras collegi pa-  
gellas. Accipite eas, AVE MI, SENEX VENERANDE, VOSQVE  
CONSANGVINEI medullitūs amandi, accipite, inquam, fronte  
serenā, Vestrūmqve, qvem amatis, amare perseverate.



PAULUM STARKIUM,  
Aut. & Resp.



# FELICITER!

## Proæmium.



Eneralē de Insignibus doctrinā tradere si vellemus, unius & alterius plagulæ angustia vix sufficeret, cūm omnia in gen. ornamenta, & illa etiā signa, qvibus persona aliquā dignior ab inferiōri secernitur, hæc involvat, atq; adeò non exiguis circumscripta sit cancellis. Offerrent enim hic ic nobis omnia, qvæ unq; am de vestimentorum notis tradidere antiquitatis monumenta, ut sunt ornatūs ille sacerdotalis apud Ju-dæos, (a) cuius primarius  $\beth$  appellatur (b) cui inserta Insignia Urim & Tummim (c) It. vestitus Romanus, ut erat Toga pura (virilis) & prætexta (diversi coloris) qvibus ætate majores & minores: Toga & stola, qvibus fœminas familiā honestiores & obscuriores: Toga & sagum, qvibus pacis & belli tempora distinguebant. (d) Qvò haud incongruè referuntur Insignia illa Magnifica, qvibus Academiarum nostrarū sidera primaria reliquis, commercium qvodam cum Musis habentibus, præludent. Offerrent se regaliā illa & nobilitatis iñdicia, sceptrum puta, Diadema, coronæ, annuli, & qvæ id genus alia, de qvibus passim apud scriptores. (e) Offerrent se Poëtarum Insignia: Qualia sunt illa Conradi Celtis Protucii, primi inter Germanos Imperatoriis manibus Poëtæ laureati, qvæ qvatuor libris Amorū præfixit variis emblematis decora, hōc adjectō distichō:

Hanc Laurum dedimus Conrado insignia Vatum

Cæsar, ut Heroum fortia facta canat (f)

Offerrent se deniq; innumera insignium genera, qvibus vel olim extra Ecclesiæ pomœria palantes gentiles Φυλακτηρίοις quasi, fasciniq; amoliendi gratia, stipati incedebant, ut sunt amuleta, ancilia &c. Vel hodie adhuc prosapiæ splendore formæq; liberalitate splendentes fœminæ plerumq;, solius ornatus gratiā in publicum conspectum collō præsertim & manibus nitidæ, se solent commit-

A 2

- (a) vid. Jo-  
sep. I. 3 Antiq.  
Judaic. c. II. p.  
m. 44 seq.  
(b) Exod.  
XXIX. 4.  
(c) vid. Joh.  
Michael, Dil-  
ber. I. 1. Ele&t.  
c. 5. p. 35.  
(d) vid. Excel.  
Dn. Præses in  
prælect. publ.  
ad sat. V. Hor.  
parte spec. c. 4  
& 5. & ad sat.  
VI. c. 7. & 20.  
(e) Vid. inter  
multos alios  
Cœl, Rhodig,  
I. 3. antiq. lect.  
c. 25. 26. p. 141.  
seq. & c. 33 p.  
154.  
(f) Vid. Celtis  
lib. qvatuor  
Amorum p. 7.  
& Copiā bul-  
la regiæ ere-  
tionis Colle-  
gii Poëtarum  
& Mathemati-  
corū in Vien-  
na cum auto-  
ritate & creā-  
di Poëtas in  
codē Collegio  
circa calcem,

tere, ut sunt pretiosa monilia, margaritis, aurō & gemmis artificum manu nimium scitè distincta. &c. Sed si de his omnibus, aliisq; propè innumerabilibus sermo nobis futurus esset, in quantum, qvæso, ex crescere nostra disputatio? leges sanè prodigiosâ longitudine excederet! Unum igitur brevitati studentes eligemus, deq; iis saltim Insignibus; qvæ alias gentilitia vocant, germ. Wappen aliquid pro viriculis differemus, qvod ut fiat feliciter, βλέπμεν ἄρω!

## C A P I T U L U M I.

Insignium Etymon. Qvomodo Gallis, Græcis & Hebræis dicta. Locus Cantici explicatur è Dilherro. Germ. Wappen unde. Homonymia repetitur. Synonymia adjicitur. Signa & Insignia in quo differant.

Eum ausulta, cui quatuor sunt aures, Proverbium est benè vetus.  
(g) Scal exerc. II. sect. I.  
Qvum igitur nominum interpretatione sæpè numero in ipsius rei perceptionem provehamur, docente Viro sine pari Scaligero (g) monitu ejus adducti, non possumus, qvin aliquid de ipso vocabulo annexamus, ubi tamen, cum ipsa loqvatur res, breviter nos expediemus. Dicuntur Insignia à signando, ut indicia ab indicando, monumenta à monendo &c. q. d. in signum. Qvia nimirum insignia signa sunt splendidæ alicuius familiæ, vel etiam res strenue gestas & insigniter notatas designant. Hinc & à Gallis dicuntur Armoiriers q. d. armorum memoriam, qvòd virtutes à desertæ vestitatis rubigine vindicant, easq; ad seræ usq; posteritatis memoriā conservant. Græcis dicuntur σημεῖα, & cum additamento aliis nominis ήγεμονίας σημεῖα. It. Βασιλικὰ σημεῖα. A voc. σημα signū, nota, vexillum (unde & σημεῖον) qvæ fortè non inconvenienter à voc. Rabb. נסoriginem traxit, qvod etiam insigne seu signum notat. Ejus enim radix in Niphah (נשׁמָן) qvæ in sacris quoq; occurrit (h) signare notat. Alias insignia apud Hebræos possunt exprimi per נ א rad. נ vexillum erexit (i) It. אַוְתֵּן qvæ vox signum notans, teste Fesselio (k) variè in sacris usurpatur. It. נִשְׁמָן cūjus in voculæ expositione multum à fonte declinarunt Septemviralis & Vulgata versiones, nec non Augustini comment. (l) in loco qvodam Canticor. (m) qvorum tamen παρεργίατε adamussim restituit Dilherrus. (n) At qvī vir? surgite, qvicunq; literas

(b) Jes. XXIX 25.  
(i) Num. XXI. 8. XXVI. 10.  
Exo. XVII. 15.  
(k) i. 5. Advers. sac. parag.  
14. à p. 447. usq; ad 46.  
(l) sermon. 6. & 7. de verbo Domini.  
(m) Cantic. II. 4.  
(n) l. 3. elect. c. 9. p. 457. seq.



literas amatis & historias abstrusas. Delius hic nobis natator est,  
 & vel Apollinea enodat oracula. Male, inquit, 70. locum ver-  
 terunt: τάχατε ἐπ' ἐμοὶ αὐτόν, legentes pro הַגָּלוֹ forfitan  
 Multò minus scopum ferriit latinus, qui vertit: ordinavit in mecha-  
 ritatem, quem, inquit, quid deceperit non video. Lutherique  
 versionem cum fonte legitimè conspirantem, annexâ perspicuâ ver-  
 borum dilucidatione, tandem comprobatur. Nobis Germanis re-  
 lictum est, ut Insignia Wappen dicamus, antiqua scribendi & pro-  
 nunciandi ratione, etiam adhuc hodie Saxonibus usitata, quæ nobis  
 Waffen / illis Wappen f. in p. commutato frequentissimè. Re-  
 mansit tamen nobis superioris Germaniae tractus incolis ipsa vox  
 Waffen / sed diversi significatus cum voce Wappen; illa arma per  
 se, hæc insignia notat. Vocis Homonymiam, cum ea in procœdio  
 statim fuerit excussa, intactam planè hic relinquimus, (o) substitu-  
 entes Aeqipollentiam, quæ varia. Dicimus enim Insignia, Insi-  
 gnia gentilitia, Arma, Arma gentilitia. Item, Tessaras, Scuta gen-  
 tilitia. It. Signa simpl. Quamvis forsan signa & Insignia in hoc  
 differant, ut signa dicantur ea, quæ per se subsistunt. Insignia ve-  
 rò ea, quæ rei alteri inhærent tanquam subjecto, sine quo subsistere  
 nequeunt.

(o) Vid. Cic.  
 or. 3. Catil. ubi  
 insignia lau-  
 dis. l. i. de nat.  
 Deor. ubi insi-  
 gnia mundi  
 [i. e. stellæ]!  
 7. ad fam. ep.  
 5. insignia glo-  
 riæ l. 3. ad fam.  
 ep. 131. insignia  
 virtutib⁹ non  
 sine singulari  
 elegantia pro  
 ornamentis in  
 gen. adhibet.

## CAPITULUM II.

Insignium origo. Ex ipsa Scriptura primūm deducitur. Vexilla tribuum  
 Isræl explanantur. Objectioni ex Exod. satisfit. Davidis & alio-  
 rum Regum Judæ annulus signatorius qui. Aliis gentibus insi-  
 gnum qui sint autores. Ægyptii primi à pluribus habentur.  
 A quibus ad Græcos & Romanos pervenisse creduntur. Qvis  
 Romæ ea primus induxerit. Caricas gentes alii credunt. Alii Pi-  
 etas. Alii Assyrios. Nostra insignia an ab illis veterum dedu-  
 cenda. A Carolo Magno demūm creduntur adumbrata. Brevis  
 sententiarum decisio.

Vetustissimum esse Insignium usum, ipsi Israelitæ suis stabili-  
 liunt vexillis (p) quæ, quod Symbolis quibusdam singulis familiis  
 propriis fuerint inscripta, tūm ex ipsius textus visceribus, tūm ex  
 diversis diversorum translationibus & commendationibus, colo-  
 res & figuræ aliasq; circumstantias iis annexas producentibus,  
 præter Drusium (q) Fesselium (r) Münsterum (s) & Berneccerum

(p) Num. II. 2.  
 (q) ad loc. dif-  
 fic. Num. c. 4  
 (r) l. 5. adver-  
 sat. sac. c. 7.  
 paragr. 14. p.  
 457. 458.  
 (s) ad c. II. Nū

(t) in qvæsti- (t) in incomparabili opere monstrat Kircherus (u) ubi qvatuor ve-  
onib. ad Tacit. xillis, qvæ in qvatuor castrorum angulis à qvatuor primis princi-  
qvæst. 23. pibus erecta eminebant, diversa animalia diversorum colorum in-  
(u) Athanas. ferta vexillis tribuit. Ad orientem, inqviens, super tabernaculum Na-  
Kirch. in Oe. asson primogeniti Iude vexillum fulgebat viridis coloris. In viridi namq; la-  
dipo Ægypt, pillo, qvi Smaragdus appellatur, parentis sui nomen descriptum erat in Ratio-  
vel Phronti- nali judicii, qvod summus sacerdos gestabat in pectore, in quo qvæ in Ponti-  
ster. Hiero- ficia bullæ Israëlitis nobilitatis antiqua jura continebantur. In vexillo au-  
glyph. Tom. 2 tem Iude insigne nobilitatis erat Leo. Leoni enim comparaverat eum Israël  
class. 1. c. 3. P. sive Jacob pater ejus, qvando nimirum tanquam omnium parens & princeps  
19. 20. 21. singulis propria stemmata distribuit. Ad meridiem deinde eminebat supra  
tentorium Elizur filii Ruben rubrum colore vexillum, qvod referebat Sardi-  
um Rationalis lapillum, qvod illi obtigerat; Ejus autem insigne suit humana  
(v) Genes. figura, utpote qvi primogenitus esset, & qvæsi caput totius domus Israël. (w)  
XLIX. 3. 4. Ad occidentem supra tentorium Elisama filii Ephraim vexillum radiabat au-  
reum, Chrysolitum referens Rationalis, in quo descriptus erat. Habebat au-  
(x) Deuter. tem pro insigne nobilitatis vitulum, cui comparaverat eum Jacob. (x) De-  
XXXIII. 17. niq; ad aquilonem super tentorium Eliezur filii Dan diversi coloris vexillum  
erat, ex albo nimirum & rubro colore permixtum aspidem in Jaspide refere-  
bat, ejusdem Rationalis. Juxta illud: (y) fiat Dan coluber in via, cerasus  
y) Genes. insemita; qvæ ad ingenii acumen, & bellicam fortitudinem atq; industriam  
XLIX. 17. singularem referenda esse, meritò putant Doctores. Hæc enim duo cum ma-  
xime in aquila sint conspicua, ideo creditum est Dan qvod cerasum in vexillo  
pingere recusaret, aquilam pro serpente pinxit. Eadem animalium for-  
ma, qvæ in vexillis, apparuit Ezechieli cap. I, 10. & Johanni Apoc.  
IV. 7. qvibus sine dubio omnes gentes ad Dei regnum accessuræ in-  
nuuntur, sicuti sub his vexillis tota Israëlitarum cohors contineba-  
tur. Sic unicuique Evangelistarum in frontispicio Evang. appin-  
gitur unum ex his animali. Qvæ itidem pingendi ratio forsitan ex  
his vexillis fuit petita. Hæc ille. Cujus verba, cum liber pretiū  
haud exigui à Patrono qvodam nobis communicatus, non sit in o-  
mnium manibus, hic adponere non dubitavimus. Non est, qvod  
qvis hic ex illo Dei interdicto, non esse faciendum sculptile aut ali-  
am similitudinem, qvæ vel in cœlis suprà, vel in terris infrà, vel in  
(z) Exod XX. aquis sub terra sunt: (z) rationem hanc pingendi insignia apud Ju-  
3. dæos conetur disturbare. Ibi enim inter imagines qvæ ad Idolo-  
latriam,



latrām, & qvæ ad ornatūm fūnt, qvarūm hæ, non illæ Israēlītis lī-  
cītæ, distingvendūm esse, ex ipsorum Rabbīnōrum explicationibūs  
patet. (a) Sic refert Laurentius Beyerling (b) ex R. Abrahamo (c)  
Davidem, qvem secuti etiā Reges Judæ, gessisse in annulis suis si-  
gnatoriis imāginem Leonis, vel qvod ipse ( David ) leonem vicisset  
(d) vel qvod significaret illud: vicit Leo de tribu Juda, (e) qvod de  
eorum qvoq; antiquitate satis testatur. Coævos cum Judæis facit  
Ægyptios laudatus Kircherus (f) inter alias gentes, inqviens, ( præter  
Judæos, putà, qvorum insignium originem jam antè recensuetat )  
non immerito primum locum occupant Ægyptii, à qvibus tota insignium ratio  
ad posteros descendisse videtur. Cui sententiæ gregalem se addit, insi-  
gnis ille legum sacerdos Limnaeus (g) qui simul addit, morem hunc  
faciendi insignia ab Ægyptiis ad alios qvoqve populos permanās-  
se. Ab Ægyptiis, inqviens, descendisse observavi apud Diodor. Sical. (h)  
ubi Reges eorum caput Leonis, tauri aut Draconis principatus insigne,  
portasse scribit. Ab Ægyptiis porrò mutuatos hoc Græcos, & ab his Roma-  
nos, ut multa alia, qvæ ad disciplinam militarem pertinebant. Ac de Græ-  
cis nunc illud nobis suppetit, qvod apud Ovid. (i) legimus, de Æ-  
geo Pandionis filio, Atheniensium Rege, Sisseræ & Barac ferè οὐγ-  
χεόνω, qui Thesea filium ex signis sui generis, in capulo gladii eburn-  
no effictis, agnovit:

Agrestes Aconita vocant. Ea conjugis astu  
Ipse parens Ægeus nato porrexit, ut hosti.  
Sumserat ignara Theseus data pocula dextra.  
Cum pater in capulo gladij cognovit eburno  
Signa sui generis, facinusq; excusit ab ore. (k)

E Romanis verò Appium Claudium, Consulem olim Romanum  
eorum usum Romæ primūm induxisse, testis est Zeillerus (l). Qvā  
tamen de insignium origine sententiam evertere videtur Herodoti  
locus (m) qviminoris Asiae populos Cares insignium authores pro-  
clamat. Caricæ gentis, inqviens, omnium, qvæ illis temporibus claruerunt  
ingeniosissimæ, memorantur tria inventa, qvippe galeis cristas imponendas pri-  
mi ostenderunt Cares, clypeis signa adjunxere, postremo loca qvoq; scutorum  
excogitaverunt &c. Alii Pictis idipsum tribuunt, inde nominatis,  
qvod armis ad conflictum uterentur variegati coloris. Alii, cum  
pro

(m) Herod. 1,1.histor, p.juxta interioris marginis latus 31 juxta superlineares numeros. p.79

(a) Vid. Clar  
Joh. Ben. Car-  
pœvi dissert.  
ad nummos  
Mosen cornu-  
tum exhiben-  
tes directam.  
ubi hanc rem  
c.2.p.10.seq.e-  
rudite tractat.  
(b) Tom. 4.  
Theat. Magn.  
vitæ hum. tit.  
Insignia f.323.  
(c) in Cabala  
historica.  
(d) I. Sam.

XVII. 34. seq.  
(e) Apoc. V. 5  
(f) I. c. p. 22.  
(g) Joh. Li-  
mnæus Tom.  
2. Juris publ.  
Imperii Rom-  
German. 1. 6.  
c.6. de Insign.  
p. 1. hujus cap.  
num.8.

(h) Diodor. Si-  
cul. lib. II.

(i) 1. 7. Meta-  
mor. fab. 22.  
(k) vid. Jos.  
Castalion va-  
riar. lect. c. 4.  
(l) Martin.  
Zeiller, in ep.  
germ. ep. 36.  
p. 218. 219. ubi  
etiam qvam  
plurimos hac  
de materia ci-  
tat authores.

(n) Marcus  
VVelserus l. i.  
rerum Augu-  
stan. Vindeli-  
cor. sub finem  
libri. Quem  
adducit Buch-  
nerus in Fabr.  
tit. Insignia p.

1274.  
(o) Pont⁹ Heu-  
terus in hist.  
vet. ac nov.  
Belgæ. l. 2. c.  
25. num. 174.  
(p) Zeiller. l. c.

pro certo teneant, nobiliores inter Assyrios nunquam in publico comparuisse sine sceptro, cui supra vel flosculi vel animalis positæ figura, ab illis, utpote primæ Monarchiæ subjectis, originem rei accersunt. Welserus(n) de nostri seculi insignibus maximam partem sollicitus à primis illis, quos jam ante diximus, deducenda non esse existimat inventoribus, quippe quæ à Carolo M. adumbrata, ab Heinrico Aucupe verò perpolita demum fuissent. Quò haud obscurè collineat Heuterus, (o) qui Caroli M. temporibus omnia Belgarum insignia ferè fuisse mutata, pro certo habet. Imò tempore Friderici I. demum communem adeò eorum usum invulgasse ex Paulo Jovio scribit Zeillerus (p). Nos in tanta Authorum discrepantia tutissimè cum laudato Limnaeo dicimus, aliunde hujus rei petenda initia non esse, nisi à communi gentium usu. Non enim, inquit ille, facile gens dabitur, cui insignium non cognita observantia, usq; adeò, ut & in novis insulis, quas eo compellamus nomine, eadem ratione quæ novum orbem, insignium usus ab illarum inventoribus fuerit comprehensus. In ejusmodi a. gentium inventis, si de primo authore quæstio sit, vestigia non nisi obscura sunt, sufficit communem nosse usum &c.

### CAPITULUM III.

Insignium definitio duplex. Quarum prior retinetur. Posterior expirat: Divisiones. Insignium alia nobilia, alia non nobilia. Galea unde & quatuorplex. Germ. Bärnhäuter unde. Insignium quæ regalia & nobilia. Item, donata, acquisita, hereditaria. It. quæ simplicia & composita. Insignium species variorum varia. Davidis, Israëlitarum & Ægyptiorum repetuntur. Octavii Augusti, Seleuci, Idomenei insignia quæ. Quæ Mediomatricum & Messanæ urbis. Item, Regum Persarum, Polonorum, Moscoviorum, Hispanorum, Anglorum & Bohemorum. Roma quæ olim insignia. Quæ hodie Papæ & Cardinales. Imperii Romani aquila cur biceps. Cur non itidem Regis Romani. Germ. Adel & Edel unde. Comitum Palatin. circa insignia privilegia. Saxonum Principes quæ olim insignia. Quæ hodie. Unde corona ruteacea. Quid in vet. Saxonum literæ quatuor C. C. N. S. Insignia materiæ inhærent sculpturæ, picturæ, texturæ. Annulis signatorijs uti mos diu receptus. Græcorum literas vinculis colligendi mos. Monetæ authores qui. αγαλματια quid. Insignia yexillis, portis, ædificiis, aliis appicta vel insculpta. Colorum quid notet varietas. Cluverii de veterum pingendis insignibus judicium. πλινθια & παβδοι quid. Color viridis Turcis religiosus.

Piz.



Præmissis ita his præmittendis, describimus cum Limnæo (q) (q) l.c. num. 13.  
insignia, qvod sint signa, summi Principis authoritate alicui concessa, aut  
propria voluntate assumpta, personam à persona, familias à familijs, civitates  
à civitatibus, collegia à collegiis variè distinguentia. Non enim cum To-  
losano (r) si hodiernum simul spectamus usum, facere hâc in parte (r) l. 6. de re-  
possimus, definiente, qvod sint hieroglyphica, qvæ breviter & compen- publ. cap. 6.  
diosè factum egregium demonstranti signo proportionatum significant, cum  
ea definitio paucissimis sanè respondeat insignibus, qvorum usus  
hodie tam varius, ut certis cancellis vix possit includi. Sunt enim (ut  
aliquos saltim prælibemus) insignia v. g. alia nobilia alia non no-  
bilia. Nobilia potissimum hodie censentur illa, qvibus galea  
perforata adjecta, qvam nos apertam vocamus einen offenen Helm.  
Est enim galea (dicta vel à gallo, cuius formam summitati olim  
capitis armati imposuerunt: vel ἀπὸ τῆς γαλῆς vel Poët, γαλῆνς à  
fele, qvod olim ex diversorum animalium pellibus conficiebantur.  
Præsertim ap. Germanos, qui frequentissimè sumebant exuvias  
ursinas, qvibus & extra bellum frequentes incumbebant. Hinc  
Germ. Bärnhäuter dictum putant q. d. hominem segnem, pigrum  
&c.) nobis duplex Stechhelm & Thurnier-helm. Illa plebeiorum  
est, hæc nobilium, tam armatæ qvam togatæ militiæ. Illa clausa  
verschlossen und zugethan/ hæc aperta & perforata. (s) It. inter no-  
bilia & regalia. Illud enim ad discriminandos Reges, Principes  
& Duces à cæteris inferioris ordinis nobilibus olim in torneamen-  
tis pertinuit, qvod galeati ibi Reges atq; Principes non com-  
paruerunt. It. alia sunt donata, qvæ dantur ab Imperatoribus &  
Regibus benevolentiae ergo: alia acquisita, qvæ virtute bellica,  
aut aliâ qvadam occasione acquiruntur: alia deniq; hæreditaria  
& Præscripta, qvæ à Principe ob merita concessa in hæreditarium  
jus transeunt. It. alia Simplicia, qvæ campo tantum colorato con-  
stant, sine figura aut symbolo aliquo: alia composita, qvæ ex  
symbolis & coloribus complementur (t) &c. Qvam variæ autem horū (t) vid. Kirch,  
symbolorum sint species, calamo exprimi vix potest, cum sint in- l. c. p. 22.  
numerabiles, & vel aliquod animal, sive homo sit, sive brutum, vel  
plantam, vel pœnè omne, qvicquid in rerum natura, repræsentant.

B

Davi-

(u) in Octavio  
cap. 50.

(v) vid. Ap-  
pian. Alexan.  
in Syriacis.

(x) Vid. Tho-  
mas Fazellus  
I. 2. de reb. Si-  
cul. prioris de-  
cadis c. 2. &  
Prosper. de  
divinis pro-  
missionibus &  
prædiction.  
part. 3. pro-  
miss. 34. de  
martyrib. De  
his autem ex-  
emplis omni-  
bus, multisq;  
aliis vide cit.  
Beyerling.

Tō. 4. Theatr.  
Magn. Vitæ  
hum. f. 323.

324. 325.

(y) Lib. 3. de  
gestis Al. M.  
c. 3. p. m. 25.

(z) Apolog.  
cap. 16.

Davidis & Israëlitarum. It. Aegyptiorum qvæ fuerint, capite præced. fuit demonstratum. Qvæ aliarum gentium, tradendum adhuc paucissimis: Octavius Augustus in diplomatibus Libellisq; & epistolis signandis, initio sphingeusus est: mox imagine M. Alexandri: novissimè sua, Dioscoridis manu sculpta: Qva signare qvoq; inseuti principes perseverarunt, ut recenset Sveton. (u) Sic mater Seleuci in somnis fertur admonita, ut qvem primum annulum inventiret, gestandum Seleuco traderet. Regnaturum enim ubiqunq; annulus forte fortuna excideret. Invenit autem illa ferreum cum insculpta anchora: Amisssus autem est circa Euphratēm: Et ob id Seleucus imperium adeptus, anchorā utebatur in annulō signatio-  
rio. (w) Sic Idomeneus Cretensium Rex gallum gallinaceum habuit, putans se esse Solis filium, cui hæc avis sacra habebatur. Legitur in qvibusdam monumentis Mediomatricum seu Metensium, qvō tempore Cæsar arma in Gallos movit, obseßam fuisse ejus jussu Mediomatricum civitatem ( qvæ nunc Metis dicitur ab expugnato-  
re Metio duce exercitus Cæsaris, qvi postea eam subversam resti-  
tuit, uti ferunt) obseßosq; Mediomatrices per Metium, deditio-  
nis fuisse admonitos, & ut admitterent Cæsaris insignia, qvod n̄ face-  
rent, intra certum tempus minatum excidium. Illos autem re-  
spondisse, nulla alia insignia desiderare qvā noctis & diei, nec  
insignia Imperatoris velle se admittere, aut alia, qvā albi & ni-  
gri pro vitæ & mortis symbolo. Et proinde habere hodie in insigni-  
bus tantū hos colores album & nigrum. Crux aurea pro insig-  
nibus in rubeo campo data ab Arcadio Imperatore Messanæ civi-  
tati illustri Siciliæ, qvod is Arcadius à Gothis & Bulgaris terra ma-  
riq; obseßus auxilium ab ea recepisset missum. Eximum autem  
illud munus, cum Imperator valde hoc crucis signum reveretur, ut  
etiam auream monetam cruce insigniendam curaverit, qvæ in usu  
totius Asie postea permansit, qvia ante victoriam de Persis cruces  
in vestibus apparuerunt (x) Persas Solem pro signis in bello præ se-  
tulisse testatur Q. Curt. (y) & Tertul. (z) qvem ultimum audiemus:  
*Alii planè, inquit, humanius & verisimilius Solem credunt Deum nostrum - Ad Persas si forte deputabimur, licet Solem non in linteo pictum adoremus, ha-  
bentes ipsum ubique in suo clypeo : Denique inde suspicio, qvod innotue-  
rit nos ad orientis regionem precari. Insignia Regum Polonorum.*

aquila



aqvila alba, coronata, expansis alis & hiantे rostrō, eò qvòd Lechus, primus regni fundator, dum sedes eligeret Anno Domini 550. sibi ædificavit inter paludes oppidum sexto à Varta flumine milliario, ubi invenit nidum aqvilarum, indeqve oppidum nominavit Gnesno, à nido, qvem vocant gnasdo (a) Antiquos Moscoviae Reges scribentes aliis, titulis, tribus circulis triangulo inclusis, pro insignibus usos fuisse, testantur authores, qvorum primus in supremo circulo continebat hoc: DE U S noster Trinitas, qvæ fuit ante secula, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Non tamen tres Dii, sed unus D E U S in substantia. In secundo continebatur titulus Regis, cui scribebatur, particula adjecta: Fratri nostro. In tertio titulus magni Ducis Moscoviae, qvo se Regem ac Dominum totius Russiae orientalis & meridionalis dicebat. Hispaniae Regem varias in suis insignibus figuræ habere, ut crucem, vexillum, leonem, castrum, qvibus etiam uxorem adjungit. (b) Item, Angliae Regem tres leones, triaqve ob prætensionem, qvam in regnum Galliae sibi præservat, lilia: Regem Bohemiæ Leonem rubentem bifurcatæ caudæ (c) satis in aprico est. Romanos primò republicâ adhuc paupere sceni manipulum; crescente verò ejus majestate lupum, minotaurum, eqvum, apium cum aqvila (sub qvâ tanquam signo præcipuo omnes legiones educebantur, & sub qvâ sola pugnabatur) vexillis suis circumtulisse, tandemqve ducum nomina crucisqve figuram reverentiae & adorationis gratia iis inscrisisse, inter alios multos, multis iisq; præclarissimis comprobat testimoniis Dempsterus (d) cuius legendi laboris te non pœnitabit. Hodie Romam aspiranti Tiara monstratur triplici exornata corolla, qvam pro galeis profanis, professione impeditus, in suis insignibus fovet ibidem Pontifex. Item, insignia rubro tecta pileo seu galero Cardinalium. De insignibus verò sacri Imperii Rom. cur bicipiti utatur aqvilâ; Rex verò Romanorū unicípitiqvaritur. Qvod fortassis ideò, fit qvod Constantinus, cum novam Romam sive Constantinopolin condidisset, prorsus biceps imperium reddidit. Seu, ut alii volunt, qvod Carolus Magnus cum pacasset occidentis fines, cum Nicephoro imperante Græco, societatem ita iniit, ut orientem ille, Carolus ve-

(a) Vid. Martin. Cromerus l. 2. de gestis Polonor. p. 181. & l. 16. p. 262.

(b) vid. Lymnaeus l.c.  
(c) vid. Aen. Sylvius c. 24. Histor. Bohem.

(d) Thomas Demp. l. 10. antiquit. Roman. in Paralipom. p. 1718, seq.

rò occidentem bicipitis aqvilæ auspiciis gubernarent: vel ideo, qvod Imperator non tantum unum, sed duplex imperii repræsentaret caput scilicet Imperatoris & junctim Regis Romanorum. Rex autem unicum tantum, Regis puta: vel ideo denique, qvod tam spiritualia quam temporalia, quæ gemino capite ostenduntur, defendere, ad Imperatores spectet. Item, cur aqvia utatur, non alio animali, nimirum ob præstantiam, nobilitatem atque prærogativam Aqvilæ cæteras inter aviculas (Hinc & german. Adel vel Edel à voce Adler deducere volunt, qvod nobiles cæteris dignitate præmineant. Qvod ipsum tamen alii invertunt Adler ab Adel deducentes q. d. edler Aar/ item Adelar & deinde Adeler. Veteres enim germ. pro Adeler dicebant Aar vel Arn. Adel vero vel Edel quasi hat heil dici autumant (e) ) De his multisq; aliis scitu jucundissimis exquisitè differentem vide sæpè laudatum Limnæum (f). Et hæc Aqvilæ insignia sibi soli propria servat Imperium Romanum. Hinc Comitum Palatinorum privilegia, qvibus potestas ista insignia Cæsarœ nomine elargiendi specialiter data, hâc quam plurimùm gaudent restrictione, ut ne alicui integrum aqvilam, maximè Imperiale, aut coronam regiam ingaleâ, vel galeam torneariam apertam, & cancellatam concedant, aut avita qvorumvis Principum, Comitum, Baronum & Procerum arma seu insignia largiantur. (g) Saxonum Principes olim pro insigni armorum in militaribus signis pullum equinum habuere, qvi ipsis dictus Valen (inde Ostphali & Westphali dicti) & qvidem atrum ante baptismum, iniò tempore adhuc Wedekindi Saxonum Ducis, ad fidem Christi jamjam conversi, quem verò placuit Régi Carolo Magno postquam de tenebris gentilium errorum pervenit in lucem veritatis, in candidum permutare (h). Operæ hic pretium, aliquid de hodiernis domus Saxonice insignibus adjicere, eoq; ejus encomia, omnes terrarum angulos personantia, decantantibus nos adjungere buccinatoribus. Habet Inclytæ domus ista ab Imperatore accepta non modò aqvilam, leonem, gladios &c. Sed, qvod notatu maximè dignum, coronam ruteam, cuius nigræ trabi in aureo campo imponendæ potestatem Imperator Barbarossa Duci Bernhardo, Electorum Saxonorum Principi Alberti Ursi Ducis Anhaldici filio, Anno Christi 1180. dñe

- (e) Vid. Span. genb. part. I.  
des Adelspie-  
gels l. 2. c. 1. p.  
s. & parte 2. l.  
1. c. 3. p. 2.  
(f) Tom. I. Ju-  
ris publ. Im-  
perii Roman.  
Germ. I. I. e.  
14. qvod in-  
scriptum de  
insignibus Im-  
perii.  
(g) Sagittar. de  
comitib. Pa-  
lat. thes. 33. lit.  
E. Ex qvo ha-  
bet etiam Li-  
mnæus Tom.  
2. Juris publ.  
Imperii Rom.  
Germ. I. 6. c. 6.  
de insign. nū.  
31. De aqvila  
alias tūm in  
gen. tūm in  
spec. Imperia  
li lectu dignis-  
sima habet U-  
lysses Aldro-  
vandus l. 1. or-  
nithologæ f.  
52. qvem vide.  
(h) Vid. Cran-  
zius l. 2. Saxo-  
nia cap. 2. & 4.

disse creditur. Qvanquam autem aliam promant ejus adeptæ occa-  
sionem, dicantq; à Viragine quadam Veneta, cum qva Dux qui-  
dam, ex hac domo oriundus, corollam rutaceam discessurus me-  
moriæ causa diviserit, ortam esse. Qvorum sententiam, cum fidem  
historicam desideret, nostram hoc loco facere nolumus. Cæte-  
rū scitu haud illud injucundum, veteres Saxonum Principes in in-  
signibus inter alia crucis usurpasse figuram, è cuius angulo unoqvo-  
que una ex his quatuor eminuit literis C. C. N. S. hoc in recessu ha-  
bentibus Symbolon: CRUX CHRISTI NOSTRA SALUS.

(i) Hæc autem jam recensitæ figurarum species multoqve plures  
(nam præcipuis saltem rivulis veluti ex vasto variorum authorum  
promanantibus pelago, prata nostra irrigavimus ) materiæ alicui  
inhærent vel sculpendo vel pingendo vel texendo. Sic videmus

illa annulis signatoriis insculpta. Qvod non tantum hodie, sed o-  
lim quoq; in usu fuisse, inter alia ex Davide patet, cuius annulum  
gessisse leonem Cap. II. ex R. Abrahamo adstruximus. Qvanquam  
apud Græcos olim literas vinculis colligendi mos forsitan inolever-  
it (k) Præterea poculis (qvæ exinde sigillata, græcis ἀγαλμάτα  
dicuntur (l) ) monetis (qvas omnium principes cedere adortas fu-  
isse Æginetas putant (m) ) ponderibus in Gallia & qvibus non aliis?  
Vexillis insignia adpingi, qvis est qvi ignorat? Ipsa sanè templa-  
loqvuntur, insignia talismodi parietibus suis affixa, ut vel eos no-  
tent, qvi ibi sepulti, vel antiquitatem innuant familiæ, hinc & inde  
habentia. Similiter & civitatum portis, curiis aliisq; ædificiis pu-  
blicis. Item columnis in via publica lapidibusq; affixa, adpicta  
insculptave Principum esse insignia, itidem loquitur nostra Lipsia,  
ita ut exempla è longinquo petere supervacaneum videatur. Nec

de privatæ possessionis insignibus verbum addere ulla nos urget  
necessitas, cum ballis illis mercatorum juncta eadem, tabellario-  
rumq; pectori per omnes urbis plateas discurrentium totò die vi-  
deamus. Intextas linteo vexillis suis certas gestas figurarum spe-  
cies Romanos Dempsterus (n) author est, illud Poëtæ (o) inter  
alia adducens :

textilis anguis  
discurrit per utramq; aciem.

B 3

Quid

picta & intertexta linteo, qvæ inde moveri dicuntur ab Ammiano. I. 16.

(e) Sidon. Apol. carm. 5. v. 409.

(i) Vid. de his  
Saxonum in-  
signibus Lau-  
rentius Faustus  
in libello ger-  
man. qvem  
inscripsit: Er-  
klärung des  
Fürstlichen  
Stammbaums  
aller Herzogtüm-  
er zu Sachsen p.  
21. 22.

(k) Vid. notas  
illas è museo  
Joh. And. Bo-  
sii, qvæ inscri-  
buntur in Cor-  
nel. Nep. in  
Pausan. ordin.  
4. c. 4. num. 1.

(l) Vid. Pon-  
tan. in Pro-  
gymnasio.  
Prog. 36. lib. 3.  
P. 707-708.

(m) Vid. Cœl.  
Rhodig. I. 5.  
antiq. lect. c.  
44. p. 250.

(n) Dempster.  
I. 10. antiq.  
Roman. in pa-  
ralip. p. 171 8.  
ubi inter ænea  
vexilla, quo-  
modo olima-  
qvila ap. Rom.  
distinguitur.

Quid hic supereft? duobus saltim versibus de insignium agere coloribus, qvorum fuscum & nigrum denotare potentiam, perseverantiam, patientiam, prudentiam: aureum sapientiam, desiderium laetitiam & fidelitatem: Saphirinum sive cœruleum pulchritudinem, humilitatem, sanctitatem & devotionem: argenteum puritatem, innocentiam, integritatem eloquentiam: album fidelitatem castimoniam & puritatem: Rubeum, audaciam, altitudinem, & virilitatem &c. passim conspicitur apud interpres insignium curiosiores.

(p) Cluver. l. i. Nos relictis his argutiolis, Cluverii (p) modo illud, antiq. Germ. qvod habet, hic adjicimus judicium: Nobiles homines, ait ille, apud c. 44. p. 347. priscos Celtas lectissimis tantum coloribus sua singuli distinxerunt scuta, unde etiamnum ea omnium antiquissima, ac maxime genuina: Nobilitatis ducuntur apud Germanos insignia, qvæ omnium simplicissima, certis duntaxat spatiis ac coloribus distincta, in qvibus vulgatissima sunt illa, qvæ Græci πλινθια & πάρδος, latini laterculos & virgas appellant &c. (q) Apud Turcas colorem viridem in summo esse honore, & neminem ejusmodi coloris vestibus uti, nisi qvi sint ex profapia & stemmate Mahometi, explicat Thuanus (r). Hinc & talismodi vexillum viride Mechæ asservant, illudq; summâ colunt religione.

#### C A P I T U L U M IV.

Insignium finis gen. & spec. Insignia qvando crescant. eorund. adoratio. Διβέλλιον qvid. Insignium ornatus ap. Rom. diebus festis. Mala interdum prædixerunt. Insignia qvando decrescant. It. qvando mutentur. Spurii Magnatum qvæ insignia. Barra qvid. Insignia qvando expirent. Clauditur schediasma.

Finem generalē Insigniū esse, ut persona à persona, familia à familiis, civitates à civitatibus, collegia à collegiis variè distingvantur (s) ultima indicant definitionis verba. Ubi tamen specialiores non excluduntur. Sunt enim, qvæ & facti alicujus præclarè gesti redolent memoriam, vel familiæ alicujus splendidae tenent κεκτήσιον, vel qvæ sunt id genus alia. Nos ad finem nunc properamus, annexuri saltem, & qvidem tribus verbis, insignium augmentationem, diminutionem, permutationem, deletionem. Crescunt & augmentantur insignia vel essential, vel accid. Essential. qvando v. g. novo facinore aut novarum ditionum adjectione figuris insignium etiā aliquid adjicitur. Ita videmus Regis Hispaniæ insignia variis fortunæ incrementis in immensum surrexisse. (t) Accident. qvan-

(s) Conf.  
Num. II. 2.

(t) vid. Lim-  
næus l. c.



qvando v. g. olim Romani Ducum suorum nomina vexillis insignia  
um loco inscripta adorabant, ubi honoris aliquam quasi augmentationem videre est. Qvos etiam secutus Constantinus Imperator, qvi crucem, ut singulari haberetur honore, inter signa militaria collocavit, qvod vexillum exinde à qvodam dicitur *διβέλλιον* q. d. divum velum. Qvo etiam carmine suo collimat Poëta:

Christus (inqviens) purpureum gemmato textus in auro  
signabat labarum (w)

Sic apud eosdem Romanos festis diebus insignia militaria variis  
condecorabant ornamenti, ut ex Minutio Felice (x) Svetonio  
(y) aliis monstrat laudatus Dempsterus (z) Nec illud videtur  
incongruè huc posse accommodari, qvando ex talismodi insigni-  
bus futurum rei eventum aliquantum præsumserunt. Sic tempore  
Pompeii spontaneus vexillorum motus in templis non bona sanc-  
tum præfigiebat, ut ex Val. Max. patet. (a) Decrescunt & diminuuntur  
signa, qvando legitimis alienationibus res, qvarum insignia sunt,  
à possessore recedunt. Legitimis dico, violentis enim si extor-  
quentur mediis possessione interversa vindicatio supereft, cuius  
intuitu Magnates non sine ratione etiam antiqua servant insignia.  
Uti de hac re Juris prudentes possunt in consilium adhiberi. Mutatio  
insignibus accidit variis ex causis: Sic bastardis, & spuriis Ma-  
gnatum interdum patris & familiæ conceduntur insignia, qvæ tamē  
non nihil immutata. Linea enim per intermedium scuti à sinistro  
vel dextro latere ducta, qvam *barram* vocant, à legitimis distin-  
gvuntur. (b) Harum linearum variis modis expressarum figuræ  
habes apud sèpè citatum Limnaeum (c) Caroli M. temporibus O-  
mnia Belgarum insignia fuisse mutata ex Heutero suprà Cap. II.  
notavimus. Expirant in totum insignia, vel sententia superioris,  
in qvem læsæ crimen majestatis fuit commissum: vel si familia,  
cui tanquam adjuncta insignia erant, planè intereat. Sic in aula  
Altenburgica non semel vidi, nobilium denatorum, nullâ hujus  
generis & nominis post se relicta cognatione, galeas prope sepul-  
chrum fuisse fractas, & unâ cum annulo signatorio, cui gemma si-  
gillaris, coram omnium in funus prodeuntium conspectu priùs ef-  
fossa, capulo tanto impetu fuisse injectas, ut eorum sonitu & clan-  
gore tota ædes sacra omniumq; aures personuerint.

COROL-

(u) Prudent.

1.2. in Sym-  
machum.

(vv) Vid Just.  
Lipsum l. 3. de  
cruce c. 15. p.

138. seq. & c.  
16. p. 142. seq.

(x) in Dialog.  
(y) in Claudio

c. 13.

(z) l. c. p. 1720.  
1721. lit. F.

(a) Valer. M.  
l. i. c. 6. Vide  
plura hac de  
re exempla  
ap. Andream  
Handorf. in  
Promptuar.

germ. Exem-  
plor. ad præ-  
cept. 5. f. 285.  
colum. 2.

(b) Vid. Span-  
geberg. part.

1. des Adel.  
spiegels l. 6.

c. 1. p. 45.  
(c) l. c. de in-  
sign. num. 17.

QK II m 453

COROLLARIA.

1. Perpetuum non est, ut, qvi galeas habent apertas, nobiliores sint iis, qvi occlusas.
2. Aves in armis præstantiores videntur animalibus quadru-pedibus.
3. Arma solis iis data primùm, qvi in bello præclarè se ges-ferunt.
4. Ens prædicatur de Deo & creaturis: Item, de substantia & accidente, non univocè, sed analogicè.
5. In disciplinis Practicis dantur Demonstrationes.

PRÆSIDIS  
ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΑΣΜΑ.

**M**aëte esto, mi Cognate, macte industria  
Tuâ illâ! Et isto calle perge strenuè,  
Quo te videmus concitatum endogredi.  
Non improbamus, non vetamus. Et tamen,  
Est, improbare quod velit modestia,  
Et quod vetare, si foret res integra,  
Data in ruborem penè, Zoilum verens.  
Industriæ est, quod arma prodis cætera;  
Quod nostra prodis, illud imprudentiæ est,  
Vel molliore verbo, id affectus meri est.

FINIS.

b77

3.5



DN. A U  
DN. M.  
DN. SA  
Illi  
**F**am  
rei  
titu  
con  
vatò, alte  
tum. Q  
1500. die  
vus qvida  
poris cla  
suos nob  
bis adhuc  
hi, matre  
tām lauda  
generis su  
harum e  
Vestroru  
gellas.  
C O N S A  
serenà, V



mo, Clarissimis  
Seni de juventute litera-

, Prof. Publ.

. Publ. Cæs.

, his Consangvineis  
is.

ea exornatam, flavoqve  
imum & imum tripar-  
grō (ob nominis forsan  
s alterō paululūm alle-  
nixo cacumine insigni-  
ximiliano Anno Christi

A V E , Atavus ant aba-  
Γ, re militari tunc tem-  
Avus tuus deinde natus,  
polico Imperiali, qvod vo-  
vid inde? Gratulor mi-  
Rappoltiano, adeoqve  
nitor, ut præclari hujus  
Et qvō vivum virtutum  
saretur, in memoriam  
vobis sacras collegi pa-  
ENERAND E, VOS QVE  
pite, inquam, fronte  
rseverate.

LUM STARKIUM,  
Aut. & Resp.